21

Q. D. B. V!

DISPUTATIO MEDICA

De

VENÆSECTIONE RITE ADHIBENDA,

Quam

CONSENSU

Gratioſiſſimi Medicorum ordinis in inclytâ Salanâ,

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Excellentisſimi & Experientisſimi

DN. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII,

Med. Doct. & Theoret. Prof. Publ. undiquaque Celeberrimi, Med. Ducal. Saxon. Feliciſſimi, & hodiè Facultatis ſuæ Decani,

Dn. Præceptoris, Patroni & Promotoris devotè colendi,

Publico Φιλιάτρον Examini ſubjiciet

TOBIAS ERNESTUS Beerwinckel /

GREUSSENA THURINGUS.

Ad d. Auguſti 1675.

In Auditorio Medicorum, horis ſolitis.

J E N Æ,

LITERIS SAMUELIS KREBSII.

PROOEMIUM.

IMitandi non rarò medico ſunt nautæ, qui procelloſo æſtu maris concuſſâ navi mercium partem, non curato eorundem pretio, ejectant, ut ſeipſos & totam compagem ſervent ab interitu. Si integer ſanguis, ſi validæ florentesque vires, pacatus in torulis ſuis fluitat, & imperturbato ordine ſanitatem diſpenſat, carè habendus & theſauri inſtar; ſin excedat limites ſibi præfixos, & vires jam copiâ gravet, æſtuet, & tumultuante impetu aggeres quaſi tranſcendat, in hanc illamve partem irruptionem faciens, extravaſandus eſt, & deplendus.

Prudentia Navarchi non aliâ magis occaſione elucet, quam ubi tempeſtatis ſubit examen, ut quæ ex uſu ſunt proſpiciat, quæ gerenda, cautè deliberet & cordatè exequatur, curâ undique ad navem ut ſervetur, directâ. Facilis res eſt ſcindere venam, & exitum concedere liquori vitali, ſed cum ſucceſſu id facere, ut juvet, non noceat, hoc demum prudentis eſt medici. Facilis jactura ſanguinis, irreparabilis vitæ.

Lubet hâc vice paulò uberius disquirere, quemnam in praxi uſum habeat venæſectio, & quomodo rite adhibenda ſit. Faxit divinum numen, ut benè id eveniat!

CAPUT I.

De Indicantibus Venæſectionem.

CUm ablatâ cauſâ tollatur effectus, præcipuè circa hoc verſatur indicatio præſervatoria; hinc ut curatoria magis in alterando occupatur, ita hæc magis in evacuando, ſc. humores. Duplices hi ſunt, vel boni, vel mali, unde & eorum plenitudo gemina eſt: *plethora* & *cacochymia*. Vitia humorum verò, licet ab aliis plura ſtatuantur, ratione ſubſtantiæ, quantitatis, qualitatis, motus, quietis ac loci, rectè tamen ad tria hæc referri poſſunt, quantitatem, qualitatem & motum. Subſtantiâ verò peccare dici poſſunt, quando quantitate & qualitate ſimul delinquunt. *Indicans* ergò eſt *plethora*, ſive repletio, & abundantia humorum; *indicatio* eſt *depletio* ſeu evacuatio, modò mitior atque minor, modò fortior atque major. *Indicatum* verò ſunt tùm *Venæſectio* in poſteriori, tum cucurbitulæ in altero caſu. Indicat hinc plethora mediatè Venæſectionem.

Cauſa igitur hoc loco attenditur, quæ cauſatur aliquid, v. g. in plethorâ præter laſſitudinem vires gravantur & premuntur, ſanguis vaſa diſtendit, findit ſæpe ac obſtruit, & alia mala producuntur. Præmittimus verò hoc, quod cum repletio ſive abundantia alia ſit ſimplex, & ſibi relicta, ubi ſanguis ſolum abundat, ſive quantitate peccat; alia implicita, ubi præter quantitatem excedentem etiam multum recedit à naturâ ſuâ, ſeu qualitas peccat ſanguinis humorumve & motus; hinc primario & principaliter debetur Venæſectio quantitati, ſecundariò verò & mediatè etiam qualitati & motui, unde *Capiv. lib. 1. prax. c. 9.* ſcribit, non aperiendam venam, ſi vitium ſanguinis in formâ ſolâ aut ſolo motu, & non ſimul in quantitate peccet. Pertinet & huc diſtinctio inter plethoram puram & cacochymicam, convenit enim ſæpè Venæſectio in cacochymia plethoricâ, ubi ſanguis præter qualitatem etiam quantitate peccat, unde non raro etiam mittimus ſanguinem cacochymicis.

Plethora intelligitur non levis, ſed fortis à gradu exſuperantiæ, ut nec diſcuti, nec parciori evacuatione mitigari poſſit, ſed requirat miſſionem; ubi ſcil. torpor adeſt in membris, ob copiam ſanguinis ſine aliâ cauſâ, laſſitudo & alia.

Chi-

Chirurgica præſidia κενωτικὰ, ſive quorum beneficio potiſſimum fit hæc depletio, reſpiciunt vel ſanguinem, vel ſuccum diverſum à ſanguine, ſeu ſerum, & his commixtos alios humores. Reſpiciunt utrumque humorem, ſanguinem & ſerum, quatenus eſt evacuandus vel ſenſim per cucurbitulas, vel confertim per Venæſectionem, & per vias vel ſenſibiles, ut Venæſectio, cucurbitulæ, ſcarificatio; vel inſenſibiles, ut per poros cutis, easque vel ordinarias vel extraordinarias.

Præcipuum eſt VENÆSECTIO, unde rectè *Harvæus exerc. 51.* Sanguinis miſſio, *ait*, eſt plurimorum morborum ſalutare auxilium, & inter remedia univerſalia præcipuum, & ab ipſo *Galeno 2. aph. comm. 9.* dicitur βοήθημα μέγα, *remedium magnum*, primò *ratione objecti*, quia verſatur circa magnum indicans, i. e. vitium circa quantitatem ſanguinis; ſecundò *ratione uſus* & *virium*, morbis enim magnis adhibetur, & omnium ſaluberrimum eſt remedium; tertiò *finis ratione*, quia multis indicationibus ſufficit & ſatisfacit, non ſolùm quantitati ſive copiæ ſanguinis, ſed etiam motum inhibet, aliaque præſtat, de quibus jam.

Quod enim uſus generales attinet, Venæſectio

1. *Evacuat*; deplet partem, ut reſtituatur proportio deficiens, redigaturque ſanguis intra moderationis terminos, ut porrò reliquus ſub naturæ legibus & imperio ſit. Neque obſtat, quòd evacuet ſuccum in ſe utilem, nam omne id, quod naturæ reſpuit imperium, ejuſque tranſcendit limites, p. n. fieri & lædere poteſt, reſpectu ergò hujus opus habet evacuatione.

Evacuatio hæc ſanguinis vel *univerſalis* eſt, ſive totius corporis, ubi parum intereſt, quæ vena ſecetur, ſine delectu, & eligi ſolet v. g. mediana; vel *particularis*, hujus vel illius partis in ſpecie, prout hîc vel illic magis redundat. Evacuatio hæc eſt ſenſibilis & quidem facta confertim & unâ vice, vel pluribus, donec ſufficiat.

Evacuatio hæc ſeu ſanguinis miſſio præter deplendi hunc uſum adhibetur quandoque ut conſtitutio ſanguinis innoteſcat, quod ad prognoſin facit, quatenus patefacit pro-

 por-

portionem ſanguinis & ſeri, cujus perpetuum moderamen à naturâ deſideratur, & ſi appareat, bonum, ſin minus, reſpectivè malum ſignum eſt. Notari enim poteſt v. g. omnes illos, quibus in febribus ardentibus venâ ſectâ eductus ſangvis ſero proportionaliter pollet, mitius degere & contra Facit & ad curationem, maximè in fluxionib⁹ & ulceribus, hinc enim conjici poteſt, num purgantibus & ſudoriferis, vel ſanguinem diſſolventibus, rarefacientibusve opus ſit; illis ſcilicet magis opus eſt in copioſiore ſero, quâ occaſione & illud valet, opiata nunquam feliciter operari, niſi proportio inter ſerum & ſanguinem ſit legitima; his, craſſiori ſanguine. Et quidem eo caſu diſſolventium cenſum obeunt acida, rarefaciunt verò præter alia inprimis volatilia ⊡noſa.

Locum habet evacuandi intentio potiſſimum ad *quantitatis* vitium tum in ſanis v. g. qui, præſertim vino utentes, ob abundantiam ſanguinis, præſervationis gratiâ vere & autumno, bis vel ter in anno, ſanguinem mittunt; tum in illis fœminis, quæ ſterili vivunt in conjugio, & quibus menſes non amplius fluunt, quo caſu, cœteris tamen paribus, conſultum eſt venam ſecare, uti inferius quoque id memorabimus.

2. *Refrigerat*, i. e. alterat, ut qui nimis ebullit, movetur & calidior eſt, contemperetur. Videmus id ab exceſſu, ſi enim nimiâ copiâ, & ultra quam ferre poſſit natura ſangvis educatur, inde depauperatur ſanguis, ac cachexia & hydrops conſurgit. Fit hæc refrigeratio per accidens, quatenus parte demptâ, reliqua mitius decurrit. Valet hoc & vernm eſt inprimis, ſi ſanguis & ſerum benè ſint contemperata reſpectivè, vel hoc non planè deficiat, unde vidimus in febribus ardentibus, ſub tali ſc. ſanguinis conſtitutione, ſæpe omnem calorem, omnem febrem unâ quaſi vice ſublatam ſolâ Venæſectione. Contra ea verò, quando ſerum deficit magis, & ebullit tamen ac fervet ſanguis p. n. ut in febribus itidem ſæpenumerò accidit, tantum abeſt ut refrigeret, ſeu ut moderatius hinc impellatur in alveis ſuis, ut potius poſt venam ſectam longè acerbius ferociat, dempto quippe freno. Sic refrigerat in ſpecie, ubi ob prædominium 🜍eæ oleoſæ partis ex-

æſtuat

æſtuat ſine febri in maniâ & furore, unde eo caſu uberior convenit Venæſectio.

Hinc adeò conſiſtentiam juſtam ſanguini reſtituit Venæſectio, ſi nimium rarefactus ebulliat, & conſiſtentia hæc optimè à poſteriori in ſanguine emiſſo patet, & adeò *qualitatem* ſanguinis reſpicit magis hic uſus.

3. *Revellit*, ſcilicet ῥευματισμὸν, ſive ſanguinem cum impetu ἀθρόως καὶ βιαίως ad hanc vel illam partem ruentem & influxurum ad diverſam partem revocat, qui impetus præſupponit calorem & dolorem, adeoque revulſio Venæſectione facta magis debetur *motui* peccanti.

Revulſio enim fit

1. *ad remotiora* (derivatio ad propinqua ſeu vicina) unde *Hippocrates l. 6. epid. ſ. 2. v. 50.* revellere oportet, *ait*, ſi non, quà oportet repant. In revulſione hâc reſpectus ſemper eſt habendus ad cor, ceu ad partem mandantem. Sic ſi affecta ſit pars, quæ ſanguinem accipit à trunco aortæ adſcendente, Venæſectio in pede, ſin contra à deſcendente, in brachiis revulſionis gratiâ inſtituitur.

2. *Ad directum*, obſervatâ rectitudine revulſio in rectum trahit, in lineâ rectâ, κατ' ἴξιν *ſecundum adventum*, & communionem ad partem oppoſitâ ſeu contrariam, ſurſum deorſum, dextrorſum ſiniſtrorſum, antè retrò. Sic in affectibus capitis revulſionis gratiâ commode ſecantur venæ pedum, influxu menſium immodico venæ brachii; in caſu ab alto, contuſionibus, vulneribus, hæmorrhagiis, inflammationibus in oppoſito latere. Strictiùs quidem, ab infernis ſurſum à ſuperioribus verſus inferiora dicitur fieri revulſio; latius verò, ceu *Galenus* ea accepit, in omnes dimenſiones, à dextro in ſiniſtrum, à retro in poſtica, ab intra extra; ubi notandum, revulſiones omnes, quæ ab extra intro fiunt, malas eſſe, ut ſcabiei, malignitatis, podagricæ materiæ, verſus interiora recurſus.

Uſus verò *revulſionis* eſt duplex, unus *præſervatorius* magis, morbo imminente, & fiente, ſeu influente p. n. in aliquam partem ſanguine, ut in inflammationibus, doloribus atrocioribus, ne collectio fiat, unde *Galenus 1. aph. comm. 23.* in fine

ſine ait, in maximis doloribus nullum majus ſe inveniſſe auxilium, quàm usque ad animi defectionem evacuare, adhibitâ diſtinctione. Hinc etiam ad præſervationem conſuetæ aliàs inflammationis, fluxus menſtruorum immodici, eryſipelatis, optimè revulſio talis habet locum. Vidimus aliquot eryſipelate quaſi ſingulis menſibus correptos, factâ Venæſectione in oppoſitum revulſione, à morbo liberatos. Sic etiam eodem modo præſervantur fœminæ diſpoſitæ, à nimio fluxu menſium, arthritici ab inſultibus dolorificis &c. Influxu verò ſanguinis ſive humorum in partem quandam p. n. perfectè facto, fruſtrà inſtituitur per Venæſectionem revulſio, niſi fluxio adhuc duret.

Alter uſus eſt *curatorius* magis, & fit morbo vel ſymptomate præſente, ut effluens p. n. ſanguis in ordinem redigatur, & fluxus compeſcatur, vi vacui in contrarium factâ revulſione, ut in hæmorrhagiis narium, menſibus immodicis, hæmoptyſi, vulneribus. Unde patet porrò

3. Quod revulſio fieri debeat *maturè*; non cunctandum, priori quidem caſu ante, quàm influxus fuerit factus, altero verò prius, quàm vires deficiant.

4. *Copiosè*; cum enim vi vacui, uti diximus, fiat, fieri non poteſt commoda revulſio, niſi ſufficiente factâ depletione, aliò trahatur ſanguis, præcipuè cum revulſio ſit cauſæ morbi efficientis, uti derivatio magis antecedentis.

Porro Venæſectio *derivat*, quæ derivatio eſt in obliquum tractio, & locum habet, ut ſanguinem citra impetum ſubſiſtentem ad vicina derivemus, ut e. g. hæmorrhagia narium in dolore capitis vel ophthalmiâ derivat. Unde communiter 1. præire jubent hanc ipſam revulſionem ſeu averſionem, ut in ſubſidium fiat, ſi Venæſectio pro revulſione facta nondum ſufficiat; 2. requirunt, ut mobilis adhuc ſit humor. Sumitur verò itidem paulò latius derivatio etiam pro eâ tractione ſanguinis, quâ is ad locum quendam invitatur, ſive id fiat, ut liberetur ab humore alia pars, ſive ut ad naturalem evacuationem magis inclinet, v. g. locum habet derivatio in menſibus obſtructis, & regurgitante ad cor ſanguine, unde

eo

eo fine ſaphena ſecatur commodè, ut derivetur ad uterum magis. Priori enim modo rarius derivamus, poſteriori autem frequentiſſimè, unde quidam uſum Venæſectionis alium ſtatuunt, provocare ſcilicet ſanguinem, quod tamen idem eſt & coincidit.

Poteſt etiam *quintus uſus* ſtatui *ventilare ſanguinem*, quatenus V. S. eundem ventilat, & incoctionem ſeri & ſanguinis prohibet, quod vulgò vocant Lufft machen / quatenus motum vigorat. Sic v. g. in febribus malignis ſæpe ſectio venarum ſublingualium ex uſu eſt, ut concreſcens quaſi ſanguis vigoretur, nec in motu ſubſiſtat; ſic in apoplecticis etiam tum eædem, tum aliæ etiam venæ utiliſſimè ſecantur. Unde inter alia vidimus, ſectis hiſce venis ſublingualibus ſublatam *ἀφωνίαν* apoplecticam. Par ratio eſt in aliis caſibus, ubi oppreſſio eſt virium & ſpirituum.

Finiemus hunc diſcurſum breviter illam tangendo quæſtionem, *an opus ſit Venæſectione, an ſine illâ curari poſſint morbi?* Mittimus antiquos illos Eraſiſtratæos, qui in totum penitus damnabant Venæſectionem, quorum argumenta recenſet & refutat *Galenus lib. de V. S. adverſ. Eraſiſtratum*, hodiè Helmontium ſecuti, errare devios arguunt, quotquot per Venæſectiones corporis viriumque diminutivas ſperant fontalia transmiſſa ſanari, *l. Retenta p. 498.* Unde ſine depauperatione vitalis nectaris credunt per arcana poſſe omne vitium abſtergi & demi, inprimis inter recentiſſimos *Thomſon. epilogiſm. chim. 10. p. 7. primò* mali fixi radicem prorſus non evellere, ſed tantummodò ſuperficietenus, tranſeunter, accidentaliter relevare ſcribit V. S. *ſecundò* hanc curandi methodum *inventum Diaboli* vocat, Ethnicis primò ſuggeſtam, deinde ad Chriſtianos propagatam eſſe, mortalibus pernicioſiſſimam. Verùm loquitur contrà experientiam, teſtatam, ſæpè unicâ Venæſectione conquieviſſe morbum, & falſum eſt à Diabolo inventum id, quod ad ſalutem humanam impenditur. Præſupponendum enim ceu indubitatum eſt 1. ſanguinem tum propriâ diſpoſitione, tum inprimis accedente victu commodo poſſe abundare; 2. non ſemper ſolâ peccare qualitate, (peccare

 enim

enim eundem nemo negaverit) ſed & quantitate, quæ in ſe quidem bona eſt, relata verò ad cor, vires & corpus, noxia utique evadit; 3. vitioſè etiam ſæpe affectare exitum, ut in obſtructione menſium fieri totâ experimur die. Sed ad argumenta talismodi contra V. S. afferri ſolita abundè reſpondit *B. Rolfincius O. & meth. comment. l. 4. ſ. 2. c. 17. ſeqq.*

Caput II.

Permittentia & prohibentia V. S. recenſet.

NOn ſolùm ſecanda eſt vena, ſi indicans adeſt, ſed ſi permittentia, quæ modum dicunt, conſentiunt, neque quid obſtat. Hinc aureum monitum eſt *Hippocratis lib. 4. de vict. acutor.* In acutis, *inquit*, venam ſecabis 1. ſi morbus magnus ſeu vehemens, 2. ægri in vigore ætatis conſtituti ſint, 3. & robur ipſis adfuerit.

Duo quaſi præcipua ſunt *coindicantia*, primò *morbi* ratione, *magnitudo*, quæ jubet quaſi Venæſectionem; ſecundò ipſius *ſubjecti* reſpectus.

In genere enim morbus acutus quivis non Venæſectionem indicat, ſed qui magnus eſt, & ubi ſpes eſt per Venæſectionem magnitudinem hanc poſſe imminui; in quibus verò morbis conveniat Venæſectio, jam dicemus. Ergò *morbus magnus* ſaltim coindicat & permittit Venæſectionem. *Subjectum* verò ipſum *aptum* ſit ferendæ huic evacuationi.

Aptum eſt corpus Venæſectioni, ſi vires non exhauſtæ ſunt, ſed conſtantes, hinc concluſio univerſaliter vera eſt: ſi vena ſecari debeat, ſemper vires robuſtas eſſe oportere, & contra ea in debilitate virium non convenire Venæſectionem: vires enim pari cum vitâ paſſu ambulant, teſte *Galeno l. 9. m. m. c. 13.* Notanda tamen diſtinctio *inter vires debiles ex oppreſſione*, quando à ſanguinis copiâ aggravantur, & ex *reſolutione* tales, ab exhauſtis ſpiritibus & ſanguine; ab illis non ſolùm non prohibetur Venæſectio, ſed potius coindicatur; in his verò locum non habet.

Deinde

Deinde etiam vires regulandæ ſunt pro ſtatu *ut nunc*, ſive *de præſenti*, & *de futuro*. Non ſatis eſt, ut ſufficiant ad hoc præſidium, ut æger non moriatur, ſed etiam ut ſufficiant conſequentibus inpoſterum aliis; ſeu videndum, ut in omnibus præſidiis, ita præcipue in hoc eſt, ne noceat, ſed ut cum εὐφορία contingat.

3. *Vires fortes* dicuntur *non abſolutè*, ſed κατά τι, *ſecundum quid*. Si ſcilicet æger adhuc benè ferat morbum, nondum ſint exhauſtæ, actiones magnam partem adhuc ſui juris. Sique delicatus ſit æger vel reſpectivè debilior, etiam jacenti Venæſectio fieri poteſt.

Sunt equidem nonnulli, *qui* quotieſcunque Venæſectio inſtituitur, *animo linquuntur*, ſive tenerioris habitus, ſive animo terrorem concipiant, ſive aliâ de cauſâ ipſis domeſticâ; huic vero caſui conſuevimus in praxi duo ſalutaria præſidia opponere: primò, ut *juſculum præbibant*, hoc enim modo reſtaurantur ſpiritus, ut ſufficiant, vel ipſum etiam confortans medicamentum præſumi poteſt, licet alimentoſum hoc jam ſufficiat; ſecundò, ut *decumbentibus non ſedentibus vena aperiatur*. Nuperrimè cum vena ſecanda eſſet primariæ fœminæ, cui ſemper ſub finem Venæſectionis animi deliquium acceſſerat, hoc ipſum ſuaſimus cum manifeſto commodo, neque enim vel minimum acceſſit indicium lipothymiæ.

Quod ſi verò lipothymia ſuccedat, & vires debiliores reddi occipiant, id quod fit, à ſanguinis, ob ligaturam præ greſſam, morâ, & eodem paulo refrigerato ad cor, potiſſimum à ligaturâ, redeunte (maximè enim ſoluto jam vinculo accidit) quo de eleganter agit *Harvæus exerc. anat. 1. de motu ſang. p. 109.* & *exerc. 3. p. 278.* quod ſi, inquam, hoc fiat, tunc adſperſio ▽ frigidæ, odoratum ✠ vel ▽ *apoplect.* ut & hauſtus hujus prodeſt.

4. Notandum etiam, ſi vires non adeò ſint robuſtæ, *vaſa minora* poſſe magis ſecari, ſeu venas minores.

Deinde *aptum eſt corpus ſpiritibus & ſanguine magis vegetum ſive abundans*, qualis eſt ætas juvenilis, media & ſenectus viridis. Adeoque cum *Galeno lib. de curandi rat. per S. M. c. 6. & 13.* excipitur *ætas infantilis* & *ſenilis*.

Quæſtio eſt, *an infantibus quoque Venæſectio adminiſtrari debeat?* Veteres, uti jam ex *Galeno* citavimus, id prohibebant tum ob *vaſa minora*, & *habitum corporis rariorem*, tum præcipuè ob *vires debiliores* & citiùs fatiſcentes. A poſterioribus verò id tentatum quoque eſt, unde *Celſus lib. 2. cap. 10. p. 82.* uſum, *ait*, oſtendiſſe, *nihil ex his eſſe perpetuum*; intereſſe enim non quæ ætas ſit, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint, unde firmum puerum, robuſtum ſenem, & gravidam mulierem valentem tutò ſic curari profitetur. Addit tamen *in his maxime imperitum medicum falli poſſe, quia fere minus roboris illis ætatibus ſubeſt.*

Inprimis Hiſpani, Galli, & poſt hos quoque ex parte Itali idem factitant. Unde *Mercatus l. 2. de morb. puer. c. 8. p. 223.* Si copioſa fluxio ſit, ſi impetu ruat, ſi caloris vel ſalſuginis aliquid participet, dubitandum non eſt brachia protinus ſcarificare, maximè ſi febris acceſſerit, ac *ſi puerulus ultra ſecundum annum* egerit, venam ſcindere oportebit, præſertim ſi jam ablactatus fuerit, & ſolidiori victu utatur. Agit & de eâdem ex profeſſo *ib. c. 15. p. 249.*

Galli trimeſtribus etiam & multò magis ſenioribus adhuc & firmioribus venam ſecant. Sic *Jacob. Sylvius* apud *Craton. conſil. 308. p. 879.* frequentiſſime puerulis, detraxiſſe ſe ſanguinem, trimulis etiam ſeu 3. & 4. annorum, item 5. 6. 7. 8. annorum, maximè in iis, qui ſunt vividiores, refert. Videri hanc in rem inprimis meretur illuſtris *Conringius Tr. de V. S.* qui *Celſum, Averrhoen, Fernelium, Freygium & alios* citat, & de Venæſectione hâc ſolidè ac acutè tractat.

Inter *Augenium* & *Maſſariam* hâc de re vertente ſeculo maxima controverſia interceſſit, quo de videri poteſt inter alios *Thom. Oliverius de m. ſ. in pueris per tot.* quid id ipſum affirmat, & in puero pleuritico 9. ann. eam adminiſtravit.

Confirmat id ipſum *D. D. Horſtius manud. ad medicinam p. 113.* ubi abſonum eſſe & ridiculum, *ait*, in infantibus & puerulis ſanguinis detractionem averſari, ſi id poſtulat indicatio & vires reſpondent. Unde *addit*, ſe ſævientibus variolis & morbillis non potuiſſe ubique ſuccurrere pueris ſine Venæſectione.

Aſt

Aſt uti extraordinaria non faciunt regulam, & quandoque caſus dari poſſunt, ubi infantibus etiam, ſeu pueris magis mitti ſanguis & poſſit ac debeat, ita in ordinario ſtatu id locum non habet, unde in puerili hâc ætate Venæſectio rarius, apud nos quidem, in uſu eſt, & cautè cum eâdem eſt mercandum. Sæpe ex falſâ hypotheſi & malè inductâ conſuetudine Venæſectio apud exteros inſtituitur; ſæpe, qui elenchus eſt non cauſæ ut cauſæ, quod Venæſectioni tribuitur, vel naturæ bonitati vel medicamentis potius adſcribendum erat. Unde quoad noſtrum clima rectius intermittitur, repugnat experientia, & ipſa tenellæ hujus ætatis imperitia, unde vel cogi debet, vel ſi admittat, animo facilè ſolvi poteſt, exceptis quandoque, uti diximus, caſibus extraordinariis cum aliis circumſtantiis.

Senectus autem *viridis* non tam annis menſurari poteſt & debet, quàm conſuetudine, habitu corporis, ſanguinis proportionatâ abundantiâ, ſymptomatibus urgentibus, aliisque circumſtantiis, unde novimus fœminam *76.* annos natam, quotannis adhuc Venæſectione uſam feliciter.

Ad vires etiam ſpectat *pulſus.* Ubi pulſus ſunt *magni, vehementes* ac celeres, licet magis venam ſecare, quàm ubi *frequens* ſeu *creber* & *debilis* micat. Vidimus in malignis, qui frequentem pulſum obtulerunt, ferè omnes mortuos, unde eo caſu non ſolemus venam ſecare, niſi in vaſis minoribus & minori quantitate. Notat enim naturam debiliorem.

Non mittendus etiam ſanguis eſt à venereis exercitiis fatigatis, quippe hi refectione egent, ſectâ autem venâ debilitantur magis.

Memorandum inter hæc porrò eſt *temperamentum.* Calidi & humidi ſive ſanguinei, & poſt hos calidi & ſicci (non tamen exceſſivè, aliàs læduntur) facilius ferunt Venæſectionem; in pituitoſis verò, & ubi depauperatus eſt calor innatus, minus convenit.

Conſuetudo eſt quaſi altera natura, etiam hoc loco obſervanda, cœteris tamen paribus, ſi ſcilicet habitus corporis, ætas, temperamentum conſentiant. Hoc loco meminiſſe lu-

ſbet quorundam opinionis, *venam non ſecandam eſſe, ne adſveſcamus.* Uti enim tonſorum id eſt deſiderium & unicum quaſi remedium, lucroſum quippe, ut Venæſectio ſedulò quotannis continuetur; ita tantum abeſt, ut abſolutè neceſſarium ſit adſueſcere, ut potius id indifferens ſit, & ab indicantibus regulandum.

Quoad *habitum corporis* notandum, obeſos facillimè lædi Venæſectione, carnoſos optimè ferre. Diſtinguendum enim eſt cum *Celſo l.c.* inter valens corpus & obeſum, inter tenue & infirmum. Tenuioribus magis ſanguis, plenioribus magis caro abundat, unde vis corporis melius ex venis, quàm ex ipſâ ſpecie æſtimatur. Hinc juxta *Charletonem œcon. animal. pag. 37.* graciles liberaliorem Venæſectionem ferunt, quod carnoſa & muſculoſa eorum pars ſtrigoſior cum ſit, minorem quoque ſanguinis copiam in poris ſuis abſorbeat. At verò toroſis & præpinguibus damnum à copioſâ ſanguinis eductione contingit, quia habitus eorum, ſanguine calidiore depauperatus, ſeroſis humoribus oppletur, facileque in cachexiam degenerat.

Magis convenit Venæſectio, ubi εὐχροια adeſt, quæ tamen non ſemper plethoræ index eſt; minus in pallidis, unde præcipuè in fæminis decoloribus parca debet eſſe Venæſectio juxta *Ballon. l. 1. epid. p. 111.* εὐχροια hæc non ſola ſpectanda eſt, in phthiſicis quippe, hydropicis & cachecticis ſæpe apparens eſt; in aliis pallor occurrit, quibus tamen abundat ſanguis.

Pertinet huc & *loci* ipſius ſectionis conſideratio. In brachio enim debiliori non ſolemus ſecare venam ſive acquiſita per artem, ſive per morbum ſit imbecillitas, inde brachio, ubi fonticuli geruntur, vel paralytica adeſt affectio, parcere conſuevit ferrum.

Secundaria quaſi ſunt *regiones*, in calidioribus ſcilicet magis locum habet Venæſectio, minus in borealibus, unde etiam in tam largam Venæſectionem ac meridionales non ferunt. De *tempore* ſeorſim dicemus poſt. *Vitæ genus* quod attinet, vini uſui adſueti facilius ferunt Venæſectionem; magis laboribus dediti, quàm otio.

In

In *gravidis* juxta 5. *aphor.* 29. convenit Venæſectio mediis menſibus,&non adeò larga. In genere etiam fœminæ, quibus ex uſu eſt Venæſectio, facilè eandem ferunt & ſæpe præ maribus, unde etiam maturius in iisdem locum habet, ſi menſes prodire ceſſent. In gravidis plethoricis prohibet ſæpe Venæſectio abortum, præbet partum facilem, ab epilepſiâ præſervat fœtum, & in lochiis ſuppreſſis commode Venæſectio inſtituitur in *puerperis.*

Αἱμοφοβία ſive *timiditas* etiam contra indicat, intelligi tamen poteſt *duplici modo*, vel à *morbo* oriunda quæ eſt, vel ab ἰδιοσυγκρασίᾳ ſive *naturâ*. Poſterior hæc attendenda utique eſt, non prior. Fieri debet Venæſectio conſentiente ægro, non repugnante, nullum violentum proficuum, unde mortui h. m. leguntur aliquot αἱμοφόβοι, quibus fatali quaſi & gentilitio odio adverſa fuit Venæſectio, licet aliàs fortiſſimo ſint animo. Aſt in melancholicis audacter vena eſt ſecanda, nec ibi curanda eſt timiditas. In genere etiam recte *Botallus lib. de ſangu. miſſion.* inquit, reſpiciendum eſſe ad naturam ægri, an facilè animo linquatur, tunc enim Venæſectionem fruſtrà inſtitui & medicum riſui exponi.

CAPUT III.

Morbi, quibus magis convenit V. S. delibantur.

INter res p. n. maximè etiam morbi ipſi & ſymptomata ſunt conſideranda, unde ordine, ſed brevi, potiora quædam videbimus.

Ut *plethora cum febri* magis indicat Venæſectionem, quam ſine eâ, ita in *febribus ardentibus*, ſi ſerum ſimul non omninò delinquit, ſed proportionaliter excedit in ſanguine, jam ſupra diximus nos feliciſſimè Venæſectionem adhibuiſſe. Par ratio eſt *malignarum*, ſi tamen malignitas excedat eminentiori gradu, & ebullitio ſanguinis minor, minus Venæſectio convenit, unde in peſte Venæſectionem *Eraſtus* quidam admittit, ubi æger adſuetus, & abundantia ſanguinis id indicat;

vix

vix tamen & eo in caſu proficua, unde conſultius intermittitur.

Magis convenit Venæſectio in malignis, ubi enormis dolor capitis urget, ut in Hungaricis, imo etiam venæ raninæ tutò ſecantur ferè in quibusvis ardentibus.

Circa Venæſectionem in *variolis* & *morbillis* plura dici poſſent, præcipuè cum objiciatur communiter, impedire hanc eruptionem earundem, & malignitatem comitantem easdem id prohibere; ſed uti naturâ ſuâ non æquè malignæ ſunt, & eædem teſtantur ſeri copiam ac ebullitionem, ita ſoliti ſumus etiam in his feliciter venam ſecare, ita tamen, ut magis in adultis & juvenibus, & iis quidem ſanguine abundantibus magis id fecerimus. Obſervavimus inde manifeſtò ſtatim erupiſſe variolas, acceleratione factâ, parte enim ablatâ ferventis ſanguinis, reliqua facilius defervet ſub naturæ imperio & dominio, non aliter ac ii, quibus initio variolarum hæmorrhagia narium accedit, felicius iisdem defunguntur, teſte experientiâ.

In *febribus* autem *intermittentibus*, ubi tantum per vices ſanguini ſuffunditur heterogenea materia febrilis, non ſolemus, niſi quid eximium urgeat, Venæſectionem conſulere, vidimus enim tertianas & quartanas hoc modo protractas diutius, depauperato ſanguine, & ex ſimplici in duplicem verſas.

In *cephalalgiâ* inſigne fert auxilium Venæſectio, maxime in hemicraniâ, unde ſæpe eodem die ceſſat dolor.

In *deliriorum generibus* ut plurimum convenit Venæſectio, unde in *maniacis*, ac *melancholicis* feliciter adhibemus eandem, in iis quidem, ut alteratio ſenſibilis inducatur, in his verò ut vigoretur ſanguis, & ſero in ipſum facilior pateat aditus; in phrenitide pariter ſæpe neceſſaria eſt, & deliriis hyſtericis, ſive furore uterino.

In *Epilepſiâ* minus convenit, niſi à ſuppreſsâ ſanguinis evacuatione foveatur vel ſimili ſanguinis vitio, ceu quoque in vertigine, ſi in ſanguine culpa hæreat, venam ſecare licet, & contra.

Uti

Uti etiam in *apoplexiâ* ſanguineâ ſalutare eſt præſidium; ita in *paralyſi* non convenit, neque in *catarrhoſis* & *ſoporoſis* affectibus, niſi quid urgeat id facile licet.

In *peripnevmoniâ* & *pleuritide* diſtinctione opus eſt, & triplici potiſſimum limitatione convenit, 1. *ſi magis verſus ſuperiora vergat dolor*, quod præceptum eſt *Hippocratis* 2. *ſi ſputum non adſit cruentum, nec ab adhibitis bezoardicis tale evadat*, hoc enim ſi adſit, nunquam ſolemus venam ſecare. 3. *ſi expectoratio omnis ſubſiſtat nec facilior reddatur.* Unde recte *Helmontius* ſtatuit, ut plurimum non opus eſſe Venæſectione; idem tamen facilè concedit ipſe, & teſtatur experientia, in quibusdam caſibus eandem requiri. Curavimus plurimos ſine Venæſectione, multos etiam cum eâdem, adhibitis ſc. hiſce cautelis. De tempore verò cum conſtet, quosdam ſtrictè *primum diem expoſcere, altero vero minus convenire*, dicimus, ridendos potius eſſe, qui id aſſerunt, quàm refutandos. Ut enim taceamus aurea verba *Celſi l. 2. c. 10.* qui Venæſectioni aptiſſimum *ſcribit* adverſæ valetudinis diem ſecundum aut tertium, conſultius eſt dare primùm ſudoriferum, hoc ſi profit (eget verò tempore ad effectum) & ſputum inde evadat ſubcruentum, ac magnitudo morbi imminuatur, omittenda eſt Venæſectio; ſin minus, ex circumſtantiis de neceſſitate judicandum, unde etiam apud *Foreſtum, Platerum, Riverium* aliosque practicos omnes infinita extant exempla ſecundo die in pleuritide cum ſucceſſu Venæſectæ. Conferri meretur *Salomon Albertus praxi MSS. cap. 56.*

In *Ophthalmiâ* graviore Venæſectio maxime convenit, quale exemplum cujusdam per 20. dies eâ afflicti & cæcitatis periculo proximi intra triduum reſtituti recenſet *Galenus l. de curandi rat. per V. S. c. 17.*

In *Aſthmaticis* carnoſis, ſi aliquod vitium eſt in ſanguine, quod circa cor reſtagnat, ut ſæpe fit, extemporaneum remedium eſt Venæſectio, quod etiam valet de *catarrho ſuffocativo* quandoque.

Palpitatio cordis requirit quam maximè Venæſectionem, unde *Galeno* teſte *l. 5. de loc. affect. c. 1.* omnes tales ægros ſangui-

nis detractio juvit. Ipſi etiam nos aliquoties cum ſucceſſu miſimus ſanguinem, ubi etiam id notabile dicemus h.l. quod palpitatione cordis laborantes ſæpe urinam reddant ſubrubram, cum levamine, indicio propulſam à naturâ materiam ad renes, quæ aliàs facili negotio polypum cordis inducere poſſet. Refert de ſe *Smetius in Miſcellaneis l. 10. p. 567.* ſe ad 72. ætatis annum ſenſiſſe à juventute palpitationem cordis, & tantùm Venæſectione malum mitigaſſe.

Hæmoptyſis, ſi non tàm ab eroſione quàm abundantiâ copioſius ſanguis expuatur, nec auſcultet præſidiis pharmaceυticis, nullo magis revelli & curari poteſt, quàm Venæſectione; ſin ab eroſione, minus convenit.

In *phthiſi* rarius conducit, quando ſcilicet major ebullitio ſanguinis adeſt, ventilatio verò minor, unde depaſcit partes corporis calor p.n. Tale exemplum habet *Benivenius obſ. 44.* mulieris ſumma macie & tabe confectæ Venæſectione reſtitutæ. Cautiſſimè tamen hîc mercandum. Magis etiam convenit, ſi à ſuppreſſione menſium aut hæmorrhoidum originem agnoſcat, ubi in genere notandum:

1. In illis morbis omnibus, qui evacuationem ſanguinis ordinariam intermiſſam, pro cauſâ, ſaltem ſine quâ non, habent, licet aliàs minus indicent vel admittant Venæſectionem, eam convenire poſſe, ſi cætera conſentiant.

2. Quicunque morbi ex cruditatibus & cacochymiâ potius quàm plethorâ oriuntur, Venæſectionem non admittunt, hinc in effectibus ferè omnibus ventriculi ac inteſtinorum, ſibi relictis, cholerâ, diarrhœâ, dyſenteriâ, ventriculi imbecillitate (qui ſemper ſimul eſt reſpiciendus) cruditatibus, dyſpepſiâ, nauſeâ, dolore, vomitu, ſingultu & appetitu immodico Venæſectio ſuſpecta eſt, nec locum invenit, niſi ſc. inflammatio vel aliud urgens adſit.

Hydrops reſpuit Venæſectionem, excepto ſolo eo anaſarcæ caſu, ubi ex menſibus ſuppreſſis oritur, quod in puellis maximè locum habet, ſed tempeſtivè.

Nec in *gonorrhœâ* etiam convenit, in *pollutione nocturnâ* verò, ut & *gonorrhœâ virulentâ* quandoque eâ opus eſt.

In

In *affectibus uteri*, ſi ſanguis *ſubſtantiâ*, *quantitate* vel *motu* & *qualitate* acri peccet, prodeſt unicè Venæſectio. Hinc in *menſibus ſuppreſſis*, vel non ritè fluentibus, nullum ſub ſole utilius eſt remedium, licet *Martianus comm. in Hipp. l. 1. de m.m.ſ.2. p. 258.* eandem tunc damnet, cujus rei rationes adducit v. g. 1. vitium non tàm eſſe in ſanguine, quàm uteri diſpoſitione, 2. copiâ ablatâ non poſſe fieri fermentationem ſanguinis, huic ſcopo neceſſariam; verùm ea ex ſuperioribus elidere ſatis facile eſt, ut alia; cum id loci hujus non ſit, mittamus.

Hinc in *fluxu menſium nimio* omnia plerumque fruſtra vidimus impendi, niſi celebrata fuerit Venæſectio, quæ vel ſola hunc affectum curare ſæpè poteſt. Sic & in *inflammatione uteri*, quæ tamen rara eſt, prodeſt. Aſt ſi ſanguis à tono ſuo magis deſciſcit, vel unà non peccat, ut in *fluore albo*, *prolapſu uteri*, abſit Venæſectio.

In *Arthritide* prodeſt Venæſectio. Nil magis ad curationem contuliſſe vidimus in arthritide vagâ ſcorbuticâ, quàm Venæſectionem, unde ſæpe errant medici, qui absque hac curationem intendunt perficere. Præcipuè verò in arthriticis convenit Venæſectio circa æquinoctia & ſolſtitia, ante nempè acceſſionem eorum, quo modo plures præſervavimus & curavimus.

In *ſcabie* idem *Martianus p. 138.* non admittit Venæſectionem, vel paucâ ſaltim quantitate; ſed ſi ſimul plethora peccat, utique etiam prodeſſe huic malo ſolet.

In *affectu hypochondriaco* & *ſcorbuto* attendenda ſunt ſymptomata, quibus ſtipantur; ſi enim ab ebullitione ſanguinis & fervore, vel ventilatione prohibitâ &c. oriantur, ut hæmorrhagia, φλόγωσις, anxietas, melancholia, palpitatio, & alia, fiat; ſin agnoſcant depauperati ſanguinis vitia, cachexiæ ſive hydropis diſpoſitionem, chylificationem læſam, &c. omittatur.

CAPUT IV.

Tempus V. S. perpendit.

TEmpus Venæſectionis commodè dividitur in *electionis* & *neceſſitatis*, illud magis in actu præſervationis, hoc magis in actu curationis valet.

Tempus electionis valet tum in ſanis, quibus ob copiam ſanguinis utiliter ad præſervationem mittitur ſanguis, tum in iis morbis, quæ circa ſolſtitia & æquinoctia potiſſimũ, tum & aliàs ſuas habent exacerbationes, reditus ſeu recidivationes quaſi, v. g. podagra, melancholia, hæmorrhagiæ narium, & alii; & hoc, ratione partium anni, eſt principaliter *vernum*, unde *Hippocrates 6. aph. 47. quibus*, ait, *ſanguinem mittere conducit, vere id faciant*. De hoc illa regula practica notari poteſt:

Phlebotomia fiat in principio veris cum ſuſpicio eſt de morbis ex ſanguinis copiâ, & major; ſin verò de morbis ex ſanguinis acuitate & ebullitione timeatur, fiat in fine veris & minor.

Poſt vernum tempus *autumnale* locum habet, quo tamen, niſi quid urgeat, parcius inſtitui debet, Septembri vel Octobri menſibus.

Notandum eſt porrò 1. ratione mutationis temporum anni (quod & de purgatione valet) circa ſolſtitium maximè æſtivum, & æquinoctium maximè autumnale, ut non facilè dantur medicamenta, ita nec immediatè circa eadem Venæſectio convenit, decretum eſt *Hipp. l. de △, ▽ & loc. c. 30. t. 5.*

2. Ratione *dierum*, anilis quædam fabula eſt, cujus meminit *Hoffmann. tr. de uſu & abuſu medicament. chimicor. p. 90.* ſi quis die annunciationis Mariæ, ſeu 25. Martii, Simonis Judæ, & Andreæ venam ſibi ſecari patiatur, illo anno ceu fato ſtoico ei moriendum eſſe. Et alibi ſimile extat delirium, ſi homo minuerit ſanguinem hiſce tribus diebus, ſtatim morietur: ultimo die Aprilis, ultimo Septembri, & primo Auguſti, ut alia ſimilia, temporis redimendi gratiâ, non adducamus.

Quoad *influxum aſtralem* verò, maximè ſolet conſiderari ☽a; in novilunio, ſilente ☽, & plenilunio ipſo, non adeò commodum eſt venam ſecare. Obſervavimus ſæpius, feliciter ſecari venam in juvenculis ad menſes ciendos, ante ☌ ☉ & ☽: item in podagricis nonnunquam utiliter Venæſectio adminiſtratur ipſo momento coitus ☉is & ☽æ.

Si

Si *Ecclipſis* ☉*laris vel* ☽*aris* inſtet, conſultius etiam intermittitur. Quoad ſigna verò & adſpectus ipſos, aptum eſt tempus, quando ☽a ☌ta eſt ♃i, ♀i, vel ☿io, vel adſpectu irradiata eorundem, maximè ⚹ & △, in ſigno idoneo eveniens; ſanguineis quidem in ſigno terreſtri, ut ♉, ♍, ♑; phlegmaticis in igneo ♈, ♐, ♌; cholericis in aqueo, ♋, ♓, ♏; melancholicis aereo, ♎, ♒, ♊, id quod etiam in cucurbitulis valet.

Solet etiam eligi dies ſudus præ nebuloſo, placidus præ ventoſo & pluvioſo, calidus præ frigido.

Sed hæc omnia ſaltim locum habent quoad tempus electionis. *Tempus* verò *neceſſitatis* neutra iſta curat, non anni tempus, non dierum ſelectum, non diei tempus, ſed neceſſitas uti feriis caret nec moram patitur, ita quovis menſe, die & tempore diei, urgente uſu, venam ſecare licet.

Tempus verò *morbi* quod attinet, non in ſtatu nec declinatione convenit, quia cauſæ antecedenti debetur, ſed tantum in principio, non quidem ſtrictè *primo* die, ſed intra terminos latitudinis principii, unde practicorum & inprimis *Cratonis* teſtimonio etiam in febribus malignis & ardentibus, intra primos tres dies locum habet Venæſectio, quod & ex *Celſo* jam adduximus, qui etiam addit: ut aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic neque utile poſt quartum eſt, cum jam ſpatio ipſo materia vel exhauſta eſt, vel corpus corrupit &c. Quoad *ſpecialius* tempus

Not. regula: in iis morbis, quorum certa eſt remiſſio vel intermiſſio, in remiſſione, vel intermiſſione vena ſecanda eſt; unde in paroxyſmis febrium non convenit, non in paroxyſmis epilepticis, hyſtericis, &c. in ipſo enim impetu febris ſanguinem mittere, hominem jugulare eſt.

Pertinet huc elegans locus *Harvæi, exercit. de gen. animal.* *51.* ubi *ait*, ſi paulò poſt ſumtum cibum ac potum: (antequam ſecunda coctio abſoluta fuerit, & ſerum per renes deſcenderit) aut ſub primos febrium intermittentium inſultus ſanguinem eduxeris; ſanioſum eum, incoctum, plurimoque ſero ſcatentem reperies. Contra autem ſi poſt jejunium, aut urinæ profluvium vel ſudorem copioſum, venam aperueris,

ſanguinem craſſum (utpote ſero privatum) totumque ferè in grumum condenſatum cernes.

Ita quoque hîc tangenda eſt quæſtio, an ſi indicationes ſint mixtæ, & dubium occurrat, præſentibus utriusque indicationibus, an vena prius ſecanda, an prius purgandum? Juxta *Galenum*, quoties duorum celebrium remediorum phlebotomiæ & pharmaciæ incidit neceſſitas, ſemper à phlebotomiâ incipiendum; alii contrarium tenent. Ut miſſis aliorum opinionibus, paucis rem expediamus, dicimus 1. rarius coincidere æqualem utriusque, Venæſectionis & purgationis, urgentiam; quomodo enim tam inter ſe commenſurata erunt indicantia, plethora & cacochymia, ut utraque citra quandam latitudinem ſtrictè ſui indicet obſervationem & ablationem? Deinde, poſito tamen hoc, ſi alvus non obſtructa eſt, prius vena ſecetur; ſin minus, & inducias patitur ſanguinis copia, prius alvus blandè moveatur. Vid. de hâc ipſâ quæſtione eleganter *S. Rod. Caſtro tr. de complexu morb. c. 26. p. 192.* Eodem verò die & purgans dare & venam ſecare paulò ultra ſphæram naturæ eſt, niſi tantum leniens v. g. clyſterem vel aliud benedictum præmittere lubeat, quod ſine noxâ eſt.

In fœminis ipſo fluxus tempore, fluentibus naturaliter menſibus, non convenit Venæſectio, quia natura hoc pacto jam corrigere poteſt quantitatem ex parte.

CAPUT V.

Locus Venæſectionis proponitur.

STante circulatione ſanguinis videtur undecunque poſſe ſanguinem promiſcuè mitti, ubi tutò mittitur, cum ubique fiat evacuatio, & quâvis venâ apertâ ad mortem uſque educi ſanguis poſſit.

Attamen ubivis commodè evacuari ſanguinem poſſe, & quidem curandi fine, id non æquè probatur. Nam

1. *alia pars cum aliâ magis communicat*, adeoque, cum pars affecta maximè reſpicienda ſit, cui mederi volumus, attendamus oportet locum Venæſectionis, qui parti affectæ huic ſit convenientior.

2. *dextra dextris, ſiniſtra ſiniſtris magis conſentiunt*, unde v. g. in hæmorrhagiâ narium ab obſtructione hepatis, melius ſecantur venæ dextri brachii, cum natura ipſa hunc ſitum obſervet, & vice verſâ.

3. *teſtatur experientia & ratio, non omninò delectum venarum eſſe negligendum;* Illa, quatenus reverà ab aliâ majus auxilium in morbis, quàm ab alterâ perſentiſcimus; hæc, quia conſiderandum eſt cor, an de ramo venæ cavæ aſcendente, an deſcendente magis participet, hinc capite laborante conſultius venæ brachii, ventre affecto, pedum magis ſecantur, ut alia taceamus.

Notanda ergò eſt 1. *diſtinctio inter evacuationem univerſalem & particularem*, in illâ, quæ pro deplendâ abundantiâ totius inſtituitur, parum refert, quæ eligatur, modò major ſit, v. g. brachii venæ, ut ſ.q. evacuari poſſit; in particulari verò hujus vel illius viſceris reſpectu magis una præ alterâ.

2. *Diſtinguendum eſt inter vitium ſanguinis in quantitate & motu;* pro quantitate corrigendâ eadem valet reſponſio & aſſertio, pro motu verò, ſive revellendo ſive derivando, ſelectus magis habet locum.

3. Diſtinguendum eſt *inter delectum ſuperſtitioſum & ratione ac experientiâ deſtitutum, ac fundatum in re.* Sic pro menſibus ciendis ordinariè magis ſaphena locum habet, quàm mediana, quàm vena frontis, vel ſalvatella. Videri hanc in rem meretur etiam *Ballon. l. 1. epid. p. 101.* & *B. Schlegelius de hoc ipſo delectu in diſputatione* ante aliquot annos hîc loci habitâ.

Neque etiam promiſcuè venæ quævis ſecari conſueverunt, ſed præcipuè *vel in capite*, vel *in artubus*, unde jam, quæ magis uſuales ſint, recenſebimus.

Vena frontis, quæ per medium decurrit, in cephalæa 5. *aph. 68.* poſticâ parte maximè quæ eſt, item in melancholicis, noſtro experimento, in ophthalmiâ quoque & guttâ roſaceâ, verbo, in affectibus capitis & faciei utiliter ſecatur.

Venæ narium magis millefolio, vel carduo ſphærocephalo, quem *Lipſius tr. de variol. c. 3. p. 41.* commendat, quàm phlebotomo aperiuntur, in ictero, gravi dolore capitis, vertigine.

Poſt

Poſt aures in lobo utiliter ſecatur venula obvia in tinnitu, difficultate auditus &c.

Hypoglottides, ſublinguales, ſive *raninæ venæ* in anginâ, ardore faucium, febribus ardentibus, præcipuè cum delirio, affectibus oculorum, loquelæ defectu commodè ſecantur.

Jugulares venæ externæ in collo rarius in uſu ſunt.

In brachiis tres venæ potiſſimum tundi ſolent: *mediana*, *baſilica* (quæ in dextro hepatica, in ſiniſtro lienaris audit) & *cephalica*, de quorum ſitu verſiculus eſt:

ad dextram in dextrâ eſt capitis, regina ſiniſtram.

Ubi notanda eſt cautela anatomica à *Paræo l.16.c.16.* propoſita: vitanda, *ait*, diligenter arteria, quæ ſub baſilicâ, & nervus, aut bicipitis muſculi tendo, qui ſub medianâ latet. Nam quod ad cephalicam attinet, nihil eſt metuendum periculi.

Locum hæ habent magis, inprimis mediana & baſilica, in evacuatione univerſali ſive plethoræ, quæ etiam in pleuritide magis ſecatur.

Cephalica præter hunc locum, circa cubitum, etiam ſecatur prope pollicem, die HauptAder / in affectibus capitis commendari ſolita.

Salvatella, quaſi ſalvat illa, inter digitum minimum & annularem, in quartanâ & aliis affectibus ſplenis uſitatò mittitur, ſi non aliâ, eâ tamen ratione, quod minori quantitate h. m. educatur ſanguis, & in extremitatibus feculentior ſanguis magis reſtitet.

In pedibus circa tibiæ confinia mittitur *iſchiadica*, dicta die Brand Ader / circa talum celebris eſt ſaphena, die Roſen Ader / prope malleum internum, quæ in affectibus uteri, ut & capitis, v. g. epilepſiâ commodè ſecatur & tutò. Vidimus aliquando ſpaſmum contumaciſſimum in virgine, cui menſes deficiebant, unà cum palpitatione cordis, hujus ſectione, quaſi in momento ſublatum.

Sic etiam prope pollicem pedum ſecatur *vena pollicaris*, die Haupt- oder RückAder / & inter minimos digitos *ſalvatella pedum*, die GichtAder / ab uſu vocata.

Ubi not. in hiſce venis pedum mittendis ſæpe ſimul in

utroque

utroque pede utiliter aperiri, in menſium defectu, arthritide &c. quod ſæpe feliciter præſtitimus.

Antiqua introducta eſt conſuetudo, ut verno & æſtivo tempore dextri lateris venas, autumnali & hyemali ſiniſtri venas ſecemus, unde verſus:

Ver, æſtas dextras, autumnus hyemsque ſiniſtras.

Cujus quidam rationes ab humorum naturâ, alii ab aſtrorum poſitu deducunt. Sed id tanti non eſt, niſi quis bilis attendat exuperantiam & motum, qui calidis menſibus major ferè eſſe ſolet. Locum id habere poteſt circa electionis tempus, ſed non ſuperſtitioſum.

Caput VI.

Modum ac adminiſtrationem V. S. ſcrutatur.

PRæſuppoſito ergò indicante & coindicantibus, nec obſtante contraindicante aliquo urgentiori, ægroque diſpoſito & volente, quæ ſunt antecedentia Venæſectionis, reſtat, ut Venæſectio convenienter, & lege artis ac ex uſu fiat, qui MODUS eſt.

Modus alius eſt *præparationis*, alius *adminiſtrationis* ipſius.

Ad primum ſpectat *venæ indagatio*; indaganda eſt, quam aperire intendimus, ut, an commodè id liceat, & promtè ſe minusve offerat, pateſcat. Si enim paulò profundius ſita ſit, præſtat eligere, quæ prominentior eſt, ſive in eodem brachio, cum parum id tandem referat, utrum mediana, cephalica, an baſilica ſit, quippe hæ ramis tantum à ſe diſſident, qui in medianâ quaſi coeunt, ſive in altero; unde notanter dictum, nõ delectum venarum quemvis nullius eſſe uſus, ſed in brachio.

Peccant in hoc chirurgi, qui nimis præcipites obtinere & indagaſſe venam rentur, & hinc cutim tantum feriunt, & ictum repetere coguntur fruſtrà & cum dedecore, maximè in habitioribus.

Indagatur manu & oculis, ne tendinem, nervum vel arteriam ſecet; deinde *deligatio* facienda, ſeu liganda vena, reſpectu ad fontem ſanguinis habito, unde ligatura ſemper

ſit verſus cor, hinc in artubus, manu & pede, ſupra locum aperiendum ligamus, in frontis venâ ſecandâ, collum, quod æger ipſe pro lubitu conſtringere vinculo poteſt, factâ ſimul labiorum inflatione. *Finis* enim *ligaturæ* eſt, tum ut tumida reddatur vena, adeoque conſpici eo melius poſſit, impedito ad tempus verſus cor reditu ſanguinis, tum, ut eò promptius effluat ſanguis, qui citra hoc auxilium defluere potius quàm affluere ſolet.

Utut verò nonnunquam etiam ſine ligaturâ poſſit fieri, ordinariè tamen id melius eſt, niſi qui impediat.

In pede verò, ſive manu ſtrictè ſumtâ, ſi vena ſecanda fuerit, eodem fine, ſcilicet ut fluxilior reddatur ſanguis, & venæ magis tumeant, immittuntur illæ partes aquæ calidæ, & hinc ligaturâ præviâ ſectio fit.

Adminiſtratio ipſa ſedente vel decumbente ægro, averſâ, ſi timidior ſit, facie, fit duplici modo, vel ſcalpello, ſive phlebotomo καθ' ἐξοχὴν dicto: Laßeiſen / vel lancettâ. Utraque hæc bona ſunt, modò exercitatus ſit artifex, lancettâ tamen certius finditur, phlebotomo tutius; illa ſcapellum Germanorum, quod uſitatius eo utantur, hoc Gallorum audit.

Datâ jam viâ ſanguini, ægro baculus in manum porrigitur, ut leni motitatione promtior fluat.

Notandum verò, ne ſcalpellum ſeu lancetta adhibeatur, prius ad ſordidos abſceſſus, in elephantiacis, lue ♀eâ &c. laborantibus uſurpata, facilè enim noxa hinc exſurgere poteſt, ob μίασμα contagioſum.

Solent etiam de vulnere ipſo *majori* vel *minori* infligendo autores ſoliciti eſſe, verum id ab ipſo vaſe optimè petitur conſilium, in minoribus enim minor, in majoribus major ictus eſſe debet; ſin ſanguis viſcoſior, major apertura.

Hinc, emiſsâ ſ. q. de quâ jam dicemus, auſertur faſcia, & impoſito digito, hinc plagula vel ſicca, vel vino, quod præferre ſolemus, humectata prius, ad conſolidationem diſponitur vulnus, leni quiete & ſitu apto membro conceſſo.

Sanguis ipſe ſolet tribus diverſis excipi pelvibus, ut, quantum prior à poſteriori diſtet & immutatus ſit, pateat, quod tamen, ut recte notat *B. Rolfincius O. & M. Comment.* promiſcuum

miſcuum & indifferens eſt, modò primus fluidior, modò decoloratior exit.

A venâ ſectâ ſolenne eſt præceptum, ne *dormiant*, ſeu ne ſomnus ſuccedat, unde deambulationem, converſationem cum aliis & alia diverticula commendant ob varias quidem rationes, 1. ob agendi contrarietatem, Venæſectio enim à centro ad circumferentiam evacuat, ſomnus calorem à circumferentiâ ad centrum revocat. Secundò addimus, ne ſub ſpecie ſomni lipothymia obrepat, cum notum ſit, ſomnum imminere tunc quam maximè ob privationem ſpirituum aliqualem, unde ad eundem invitantur membra laſſa. Tertiò, ne vinculum ſolvatur improvidè, quod facilius fit in ſomno, ubi cura ejus nulla geritur, poſitu indecenti & jectigatione. Hinc diſtinguendum inter ſomnum ſtatim & poſt aliquod tempus à Venæſectione initum. Priori caſu locum non habet, ſed præſtat ægrum divertere. Altero concedi utique poteſt, præcipuè ſi prægreſſæ vigiliæ contumaces, ſi morbus non malignus, ſi adſtantes vulneris habeant rationem, ne faſcia laxetur, ſi debilior æger, ſi largior evacuatio, & quæ aliæ poſſunt dari cautelæ. Hinc adeò ſomno non abſolutè & promiſcuè eſt interdicendum.

Cibus non ſtatim poſt ſumatur, potus fortior & crapula nocet, ſicut etiam à prægreſsâ crapulâ non convenit.

Not. etiam h. l. eſt, quod ante Venæſectionem non danda ſint opiata vel adſtringentia fortiora, quæ motum ſanguinis & exitum retardant. Obſervavimus id in hæmoptyico, cui, cum per aliquot dies ſumſiſſet adſtringentia & opiata, ſanguis, apertâ licet probè venâ, fluere penitus renuit. Confortantia & purificantia ſanguinem poſt Venæſectionem & ante eandem etiam ex uſu ſunt.

Poſt Venæſectionem pedum vel manuum ſolent virgulæ aquæ imponi, ut fibris appenſis qualitas ſanguinis videri poſſit, de quo paulò poſt.

CAPUT VII.

Quantitatem ſanguinis mittendi metitur.

MAxime etiam notanda eſt Venæſectione educendi ſanguinis QUANTITAS.

Peccatur ſane quàm maximè in nobili hoc auxilio tàm omittendo, quàm comittendo, præcipuè quoad quantitatem, tum continuam, tum diſcretam. Inprimis verò Galli maxime liberales ſunt in mittendo ſanguine, adeò ut ſæpius in exceſſu peccent, & generoſo hoc remedio quaſi in diſcriminatim utantur. Legi hanc in rem merentur, quæ *Borellus*, & ipſe Gallus, *cent. 3. obſ. 11.* conqueritur latius: Alios, *inquit*, publicè ferro jugulant, nimis frequenti Venæſectione, quâ ſanguinem ad ultimam guttam cum pecuniis exhauriunt, licet nobiliſſimum illum naturæ theſaurum ſedulò conſervare poſſent, cum levibus remediis calor, ejuſque nimia quantitas minui poſſent; & quæ alia longè pulcherrima adducit.

Privilegio quidem gaudet eo Venæſectio, quod in poteſtate noſtrâ ſit, eandem pro lubitu ſiſtere, vel ſolo impoſito digito, attamen multum etiam refert, ut maturè ſiſtatur, ſeu ſerius ocyus id fiat. Hinc varii termini ab autoribus eidem leguntur poſiti.

1. Quidam menſuram totius ſanguinis penſitant, & eo reſpectu ſanguinem plus minus educunt, ceu ab *Avicennâ* ſcriptum legitur, corpus hominis adulti habere ℔. xxv. ſanguinis, & xvij. uno die abſque interitu tolli poſſe. Verùm fallax eſt hæc conjectura, nec poſitâ eâ valet ad extremum evacuare. Valet tamen illud in genere, quò minus abundat ſanguis, eò parcius mittatur; quò magis, & quidem fervidior, calidior, eò magis, unde nec ad ℔. vj, iv, tres, duas, ceu à veteribus & recentioribus hinc inde factum notatum eſt, mitti poteſt vel debet, ſed apud nos ferè ſumma quantitas ℔j. eſt, ultra quam aſcendere in ſummâ urgentiâ ferè non ſolemus.

Neque 2. uti pharmacopolis in certis caſibus præſcribitur, ut q. ſ. aliquid recipiatur, ita tonſoribus æquè licet ad ſ.q. committere eductionem ſanguinis, quippe quod ſupra eorum captum eſt, & ſciri abſolutè non poteſt, ſed reſpectu ad corpus, morbum & vires habito.

3. Quandoque ſolet poni terminus apud *Hippocratem* & *Galenum*: μέχρι λειποθυμίας, *usq; ad animi deliquium*, v. g. *1. aph. 23.*

&

& *4.acut.c 52.* limitatione tamen hac additâ ibidem, ſi æger par eſſet poſſit. Si ergò quæratur, an Venæſectio ad lipothymiam usque proſit? ℞. *excluſivè* non *incluſivè* id intelligendum eſſe. Hinc probamus illud tritum in ſcholis medicis, tutius eſſe infra ſubſiſtere, quàm exquiſitè evacuare. Præſtat enim bis tutò, quàm ſemel malè. Hinc Galli apud nos non facilè ſunt imitandi.

4. Ad *coloris mutationem*; paſſim etiam id apud *Coum* & maximè *Galenum* occurrit, nec minus apud tonſores ſolenniter in uſu eſt; utut enim & purus & impurus effundatur, ſolet tamen qui primò egreditur, eo qui deinceps manat, impurior ſæpe eſſe. Quæſtio verò oboritur, an qui v. g. purus effluit & floridior, ſit mittendus usque dum impurior fluat, vel vice verſâ, an qui impurus, ad mutationem in melius?

Autores in diverſas abeunt opiniones. Plerique etiam veteres ipſi, ut *Galen. 1. ad Glauc.* quando impurior ſanguis offenditur, mittere eundem ſuadent, ſi craſſus v. g. ſit & niger. Sin rubedine integrâ & floridus, miſſionem noxiam eſſe proclamant, & protinus fluxum ſupprimendum. Vid. *Celſus l. c.* & alii. Præſtat verò cum *Juberto tom. 2. p. 179.* prorſus contrariam ingredi viam, ut, quando apparet ſordidior ſanguis, minus emittatur, ac parcius exhauriatur. Humorum enim iſta colluvies potius purgantia, aliaque præſidia indicat.

5. *Pro virium tolerantiâ & repletionis menſurâ*, unde habitus corporis, temperamentũ, morbi idea &c. conſideranda ſunt, ceu jam ſupra dictum. Solemus uſitatius emittere ſanguinem ad ℥iv, ℥vj. ſive ℔ß. ein halb Nöſſel/ quæ media quaſi eſt doſis, medio verò tutiſſimus ibis. Hoc loco ergò medicus nec timidè ſe gerat nec temerè. Hinc etiam hîc juxta *Hippocratem l. c. excreta non copiâ æſtimanda*, ſed ſi qualia oportet & facilè ferat æger. Ubi tamen ſanguis nimis *fervet & ebullit*, largior convenit, ut in maniacis, unde *Platerus* refert de ruſtico empirico, quod maniacos ſolâ largâ & repetitâ Venæſectione reſtituit, etiam quandam fœminam 70. ann. unâ ſeptimanâ *l. 1. p. 8.*

Ne quid nimis, cavendum, unde etiam conſultum non eſt ſæpius in anno Venæſectionem repetere, ceu quidam ſingulis quadrantibus id faciunt, niſi cauſa quædam ſubſit, cur id

 præ-

præcipiamus, ut *Hipp. l. de ſuperfœt. c. 10.* illis, quæ ſteriles in conjugio vivunt, bis in anno id ſuadet, in vicem lochiorum expurgationis.

Obſervatum fuit, crebriori Venæſectionis ſine neceſſitate in juventute uſu, temperamentum ſequentibus annis admodum immutari, ipſosque citiùs ferè mori.

Ad virium hanc menſuram pertinet *faciei color* & *pulſus*; ſi enim pallor ſubeat, & caligo oculorum cum vertigine, deſiſtendum eſt; præſtat item pulſum tangere, qui ſi ex magno, forti, in debiliorem & frequentem mutetur, virium non tolerantium præbet ſignum. Vidimus tamen aliquoties à primo ſtatim effluxu pulſum debiliorem redditum, ob animi motum, hinc verò eodem compoſito majorem.

Quod ſi repetenda eſt Venæſectio eodem die, ſolent nonnulli oleo vulnus deligare ſive imbuere, quod conſolidationem impedit, ſeu tantum pro impediendâ hâc, phlebotomo illinere oleum, ne vulnus inde factum ſtatim coaleſcat, quod ipſum etiam fit in cucurbitulis, & notatur à *Minderero med. militar. p. 246.*

Medicus quidam non incelebris in uſu habet, ſimul ac vena aperta, ad ægri animum placandum ac componendum, ut eò firmiùs ſuſtineat Venæſectionem, fruſto lardi impoſito obturare ictum, ac per tempus linquere, donec ad ſe jam rediens pro lubitu poſſit emiſſionem promovere & adſpicere; fundamentum eſt idem, quia pinguia conſolidationem impediunt.

Caput VIII.

Sangvinis emiſſi & vulneris accidentium conſideratio.

Uti verò ineptum foret, ſtatim abjicere ſanguinem, vel non viſum quoque, quaſi abſolutè quantitas peccârit, & unus idemque ſit, qui educatur; ita quæritur non immeritò, quid de ſanguine è venâ ſectâ miſſio ſit judicandum?

Helmontius quidem *l. de febb. c. 2. §. 28.* ſe riſiſſe ait tabulam de judiciis è cruore emiſſo, & tantùm ſervare jubere medicos cruorem

orem, ut ſaltim hâc ratione unam viſitationem ægris adnumerent. Verùm ut in exceſſu à quibusdam peccatur, & tabula, de quâ loquitur, forſitan erit, quæ apud *Virdungum* extat *in meth. curand. morb. ex mathem: ſcient. tr. 2 c. 15. p. 54.* neque omnes adeò morbi diſtinctim inde patent, uſus tamen culpandus non eſt eodem modo, ceu in urinis id obſervandum ſimiliter.

Videri de hoc ipſo judicio poſt venam ſectam poſſunt, præter hunc ipſum locũ, ex quo tranſcribere id ſolent Calendariographi, *Carvinus Tr. de ſanguine*, & ſpeciatim *Jeſſenius de judicio ſanguinis poſt V. S. cum D. D. Brunonis commentario*, *aliique*.

Conſideranda nempe ſunt imprimis 1. *color*, 2. *conſiſtentia*, 3. quandoque *contenta*.

Monſtrat enim *in genere* proportionem ſeri & ſanguinis; in *ſpecie* rubicundus & benè commenſuratus ſanguis bonus, quò magis verò receſſerit, eò pejor. *Spuma* ebullitionem & motum fortem ac calorem; *Glutinoſus*, minus fluxilis, obſtructiones, febres, melancholiam, ſanguini immobilitatem conciliat, & ſpiritui laborem creat in movendo ſive circulando eundem; *pallor* cruditatem notat.

Tenuior, abundantiam ſeri, debilitatem viſcerum, potum copioſum ſignificat.

Pingue ſupernatans, niſi in obeſis, colliquationem; in ſcorbuto & febribus ſæpe cœruleus color adeſt, & ſanguis concreſcit inſtar hepatis ſeu parenchymatis cujusdã, ibi incidentia, attenuantia, aperientia, acida conveniunt. Vera autem ſunt *Helmontiana* illa *l. c.* cruorem atrum lividum, viridem non teſtari ſemper tam corruptionem ſui, quàm ſolius efferveſcentiæ aut turbulentiæ fermentalis ſigna præbere. Cumque ob talem motum p. n. & in cocta ſalia craſſeſcat, lenteſcat, acreſcat & nigreſcat ſanguis, uſum quoque Venæſectionis illum eſſe ſtatuimus, ut ſanguini ſuam conſiſtentiam fœneret, parte enim demtâ reliquus magis ventilatur, & liberius movetur, unde in melancholiâ & febribus ardentibus ſæpe vel hoc nomine quàm maximè prodeſt Venæſectio.

Quoad *contenta*, *arenulæ* in elephantiacis quandoque comparent, qui ſanguis etiam non coit, unde ſalium copia elicitur, Fœtor malus.

A

A Venæſectione minus rite peractâ, quando vena vel tota pertunditur, aut vulnus venæ ob ſanguinis impetum non rectè clauditur, præcipuè, ſi ob lipothymiam ſanguis effluens reſtitat, & ſub cutem ſæpe ſuffunditur, cutis colore rubro, viridi, flavo tingitur, ſæpe etiam tumor ac livor ad extremam usque manum ſuccedit. Priori caſu commodè vinum calidum applicatur ad diſcuſſionem; altero, oleum rutaceum & folia rutæ in oleo communi decocta, loco affecto impoſita conveniunt. Vid. *Sennert. l. 5. prax. part. 1. c. 16. p. 89. & c. 43. p. 182.*

Utut verò generoſum ſit remedium Venæſectio, vulgi tamen hypotheſis falſa eſt, primam ſanguinis è venâ ſectâ miſſionem à morte liberare, quæ in Galliâ quoque viget, teſte *Jouberto & Botallo*, unde perabſurdè quidam tantiſper, quaſi averruncum mortis, differunt hoc remedium, donec ultima id jubeat neceſſitas, interim non rarò labente benè agendi occaſione.

CEu flammâ oppreſsâ fomenti demere partem
fas eſt, ut radio ſplendidiore micet.
Sic ſi vitalis liquor non munere ſueto
diſpenſet vitam, fundere ſæpe licet.
Ut juſtè hæc fiant, Te diribitore pateſcit,
hinc ſtator vitæ laude decente clues.

Pereximio Dn. Reſpondenti, auditori ſuo aſſiduo & ſolertiſſimo, de felicibus, quos facit in ſtudiis, progreſſibus ex animo gratulor, &, ut individuâ proſperitate ſuccedant, precor

PRÆSES.

F I N I S.